



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

16. De falsis testibus, Et an supradicti poena talionis sint comdemnandi? Et  
quid de filiis, & nepotibus testis falsi? Et an Inquisitores possint punire, &  
quibus poenis eum, qui prece, minis, aut ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)



tenet doctus Inquisitor Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. penitentia.

5. Nota etiam hic quod qui iniunctas poenitentias non modo non adimplet, sed animo obdurato adimplere recusat, velut impenitens est iudicandus; & si nolit resistere, tradendus est Curiae seculari. Idem dicendum est si poenitentiam impositam propter haeresim probatam recipere renuit. Ita Pegna part. 3. comment. 14. & Soula loc. cit. num. 7. & alii. Vnde hic inferitur decisio illius dñi, nempe quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abjurare? Respondeo, quod abjurare recusans habetur pro convicto, & Curiae seculari tradendus est, ex constit. Martini V. sed tunc statim Curiae seculari tradendus est, quando aut confessus, aut convictus, aut in haeresi manifestè deprehensus abjurare renuit; si autem non fuerit confessus, vel convictus, tunc non statim Curiae seculari tradatur, sed antea excommunicabitur, & in excommunicatione si per annum steterit, tamquam haereticus condemnabitur & ita docet Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. ver. suspicio, num. 8. Hippolytus Riminaldus lib. 4. conf. 395. num. 64. Eymericus in director. Inquisit. part. 2. quest. 55. & ibi Pegna comm. 80. Deltrius in disquisit. mag. lib. 5. sect. 12. & ideo Soula in aphor. lib. 2. cap. 40. num. 16. sic ait: Refructans abjurare de levi, non statim est Curiae seculari tradendus, sed prius excommunicetur, & si per annum pertinaciter isti excommunicatione persistat, Curiae seculari traditur, Sic ille.

## RESOL. XV.

De frangentibus carceres, vel inde fugientibus, dum eorum causa agitur? Ex p. 4. tit. 7. Ref. etiam 15.

§. 1. **C**arceratum pro haeresi si fugiat, pro convicto habendum, & tanquam haeticum damnandum, tradit Zanchinus de haeret. cap. 10. num. 4. & quod magis mirum est, ibi Additionator Campegius, vir quidem doctus, in addit. lit. B. vide etiam Malfardum de probat. tom. 2. concl. 820.

2. Sed merito adversus Campegium surrexit Simanca in annot. ad Zanchini cap. 8. & in Cathol. institut. tit. 16. num. 23. Io. Rojas de haeret. part. 2. assert. 15. Pegna in director. part. 3. comment. 35. & novissime Soula in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 26. num. 37. & Ioseph Aldrete de disciplina tuenda lib. 2. cap. 8. num. 25. Ratio est, quia in tali casu praesumendum est reum fugisse carceris radio, aut metu falsorum testium, vel ob timorem tormentorum, & non quia haberet errorem in intellectu; non debet tamen ob dictam fugam impunitus evadere, & ideo ait Soula in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 26. num. 32. quod arbitraria poena debet puniri, sed non descendit ad aliquod particulare, quod fecit Pegna loc. cit. ubi sic asserit. Qui dum custodiretur pro haeresi, de carceribus effugit, consuetudine potius, quam lege aliqua receptum est, praesertim in Hispania, ut si sit Nobilis, Doctor, Religiosus, aut alias honorabilis civis, custodiatur arctius, & durius puniatur; quod si vilis sit, publice verberibus flagellandus, & causa haeresis in suo statu permanens tractatur, quamquam & aliis poenis arbitrariis puniri possunt. In quo mitius est, cum illis agendum, qui custodis negligentia evaserunt. Ita Pegna, & post illum Paramus lib. 3. quest. 4. num. 72. & seq. & Sesse tom. 4. decis. 471. n. 6.

3. Notandum est tamen hic cum Soula num. 37. Rojas num. 185. Pegna, & aliis quoddam licet, ut dictum est, detentus in carcere pro crimine haeresis, si aufugiat, neque pro confesso, neque pro convicto habetur, tamen resultat contra ipsum non solum ut ait Soula, indicium ad torturam, sed si non compareat, x

tali indicio cum aliis adjuncto, potest citari ad comparandum, & si non compareat, potest condemnari. Vide etiam Sesse num. 8.

## RESOL. XVI.

De falsis testibus.

Et an supradicti poena talionis sint condemnandi?

Et quid de filiis, & nepotibus testis falsi?

Et an Inquisitores possint punire, & quibus poenis, cum quibus prece, minis, aut pretio testem corripit, vel falso in Sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Ex p. 4. tit. 7. Ref. etiam 16.

§. 1. **E**sse supradictos poena talionis condemnandos, tenent viri doctissimi, ut Ioan. Rojas de haeret. part. 2. num. 156. Antonius Gomez in leg. Tauri. 83. num. 8. & cecilius in sum. tom. 1. & de haeret. cap. 1. n. 14. & alij, & patet ex constit. Leonis X. qua decretum est, testem falsum qui innocentem opprimere, tanquam haeticum voluit, Curiae seculari tradendum esse, & quidem urget major ratio in hoc crimine, quam in aliis, ut poena talionis imponatur, nam in hoc crimine nomina testium non publicantur, unde datur major ansa ferendi falsum testimonium.

2. Verum his non obstantibus, regulariter contrarium servatur in praxi, tam in Romana, quam in Hispanica Inquisitione. Vnde rectè Sanctarell. de haeret. cap. 39. dub. 3. num. 17. asseruit, quod in Tribunali S. Inquisitionis falsi testes non puniuntur poena talionis, & citat Farinacium, Zanchinum, Campegius, & alios: dixi regulariter, quia primam sententiam admittit Soula in Aphor. lib. 2. cap. 8. num. 29. Caltrus Palaeus in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. n. 6. & Simanca tit. 64. num. 90. & 91. quando ex falsa testificatione reus fuerit combustus; tunc enim putant falsum testem puniendum esse poena talionis, & sic praestitum fuisse in Inquisitione Lagronensi testatur, quod factum approbo, quia certe teneo illos Inquisitores, ut moris est, consuluisse supremum Inquisitorem Hispanicam; nam illo inconstituto hoc facere minime Inquisitoreslebent, & ideo Salzedus in addit. ad praet. crim. min. Diaz, cap. 93. lit. B. sic ait: In Romana Curia supremus & Generalis Inquisitionis Senatus, minime consuevit testes falsos seculari Curiae tradere, sed aliis poenis eos punit; ex quo quando talis casus eveniret, inferiores Inquisitores inconstituto supremo Inquisitionis Senatu, non debent testes falsos, qui graviter nocuerint, Curiae seculari puniendos relinquere. Itaque si testes falsi de vera & formali haeresi contra aliquem deposuerunt, qui ut haeticus negativus combustus fuit, & ejus bona fuerunt publicata, si Inquisitores pro tam gravi crimine existimaverint ad condignam punitionem testes seculari Curiae tradendos, oportet ut consulant generalem Senatum Inquisitionis, quia tam gravis poena absque expressa lege Canonica, praetextu cujuscunque opinionis huius, vel illius Doctoris facile imponenda non est; quia decretum illud Leonis X. non est ubique receptum, nec voluit quod ut lex universalis observetur; quod si ipsi propria autoritate eos punire decreverint, poena perpetui carceris, aut condemnatio ad tritremes erit imponenda productis prius tanti criminis reis in publicum spectaculum. Ita Salzedo.

3. Sed audiamus Soulam in aphor. Inquisit. lib. 2. n. 8. num. 27. sic asserentem: Testis falsus in crimine haeresis gravius, quam in aliis criminibus puniendus est; regulariter tamen Curiae seculari non traditur, sed producit in publicum spectaculum ligatis manibus & pedibus, discooperto capite in camilla, sustigatur, ad tritremes mittitur, aliisque poenis plectitur, ut mita infam,



infami exilio, & carcere, etiam perpetuo. Hæc Soufa. Vnde Aloyfius Barola in *aphor. lit. T. ver. Testes*, § 8. afferuit, quod ex inveterata consuetudine testes falsi in S. Officio damnantur ad remum. Vide etiam Pegnam in *direct. Inquis. part. 3. comm. 122.* & Simancam *tit. 64. n. 91.* de penis supradictorum differentes. Et nota, quod in omnibus casibus, seu rei Curie seculari tradantur, five aliis penis, ut *supra*, plectantur, minime abjurabunt, quia in his casibus non cadit abjuratio. Sed quid si testis, pro defensione inquisiti falsum deposuit coram Inquisitoribus, negando hæresim, quam sibi constat commississe? Respondeo quod in tali casu testis falsus debet abjurare fautoriam pro qualitate suspicionis, tanquam fautor hæreticorum, & ut plurimum puniendus est pena extraordinaria fustigationis, v. g. & utremium, vel utraque simul. Ita Calstr. Palau in *sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. num. 9.* & 10. & ante illum Simanca *tit. 64. n. 90.* ubi sic ait: Inquisitores testem qui falsum testimonium dixit in probatione objectorum, adversus alios testes, punire non debent pena talionis, sed extraordinaria aliqua coercitione, quemadmodum quibusdam Episcopis Senatus S. Inquisitionis plenius continetur. Sic ille.

4. Notandum est tamen hæc obiter, quod filij & nepotes testis falsi in aliquo atrociore casu forsitan combusti, propter penam talionis non eisdem penis afficiantur, quibus filij & nepotes hæreticorum, ut ex pluribus docet Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 25.* & Simanca *loco cit. num. 92.* Soufa numero 31. & alij.

5. Restat modò discutere, an Inquisitores possint punire, & quibus penis eum, qui pree, minis, aut pretio testem corripuit, ut falsum in sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Respondeo quod nemo, quem legerim, advertit, Bertazolium virum doctissimum *vol. 1. consil. 62. per totum*, docere Inquisitores in hoc casu non habere jurisdictionem puniendi, mandantes & corrumpentes testes, ut falso coram ipsis deponant, & contrarium asserere, ait ipse, esse ab omni veritate alienum. Sed fallitur, vir doctus, nam affirmativam sententiam determinat Leo X. in Bolla edita die 14. Decembr. anno 1518. ibi, *aut alium ad falsum deponendum*, &c. & hanc sententiam etiam docet Soufa in *aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. num. 28.* Iacobus Simanca *tit. 64. n. 96.* Pegna in *direct. p. 3. comm. 122.* Vmbertus Locatus in *praxi Inquis. in casibus Placentia discussis, cas. 5.* & alij communiter. Ratio est clara, quia plus delinquit is, qui testi mandat, vel persuadet ut falsum testimonium dicat, quam testis ipse, quia nocendi animum prior habet, & alium ad id facinus impellit. Quibus verò penis coercendi sint in tali casu mandantes, & corrumpentes testes, ut falso deponant, assero plectendos in iisdem penis, quibus ipsimet falsi testes plectuntur, & ideo Soufa in *aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. num. 27.* postquam enumeravit penas imponendas falsis testibus, de quibus *supra* dictum est, statim in *num. 28.* ita subiungit. Eadem digni sunt pena, qui testes pretio, aut minis corrumpunt, & qui hoc fieri mandant. Ita ille. & Simanca *loc. cit.* & ideo in Concilio Bituricensi *cap. 26.* sic habetur. *Et si forte dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum partem in superiori parte duarum Crucum (quas portare habent in pectore & inter scapulas) brachium transversale unius, vel circa.* Hæc ibi, in quibus verbis clarè apparet iisdem penis plekti testes falsum deponentes, & inducentes eos ad falsum deponendum. Vnde in hoc sacro Tribunali Regni Siciliæ damnavimus Regularem falsum testem, & qui alios ad testificandum falsum corruerat, damnavimus, inquam, ad tritemes per decennium cum aliis penis, & reum innocentem, si vellet, diximus ducendum esse in publico spectaculo cum honore ferentem tamum palmæ in manu; ut fa-

Tom. V.

ctum est etiam olim, in Inquisitione Consequenti: complices verò supradicti rei, quia erant scemina, damnavimus ad fustigationem & ad exilium per sex annos ut in casu simili factum fuit in Inquisitione Gallicæ. [Sin Embargo, ait Inquisitor San Vincente in *manuscript. cap. 23. §. 3.* que en las primeras audiencias, confesassen quien les havia inducido.

## RESOL. XVII.

De Astrologis judiciariis.

Et an contra eos possint Inquisitores Animadvertere?

Et quibus penis supradicti rei sint plectendi? Ex p. 4. tit. 7. Ref. etiam 17.

§. 1. **P**osse contra Astrologos judiciarios Inquisitores animadvertere, pater ex consilio Sixti V. in *tit. 10. Ref. & docet Peyrinus in privil. Minim. tom. 2. consil. 9.* tot. signat. *Pauli V. §. 2. n. 23.* Alphonsus de Leone in *tract. de offic. & potest. Confess. p. 1. recollect. 22. num. 15. cas. 30.* Soufa in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 48. num. 15.* & Scottia in *Bull. Pontif. epit. 140. theor. 361.* quia eorum modus prænuiciandi futura est Republicæ valde periculosus, & expositus multis superstitionibus, & præsumitur ex occulta societate eam dæmone pendere, nec tales Astrologi exculantur, licet protestentur se id non affirmare certò, id enim videntur facere ad fraudes regendas & statutas penas vitandas. Vnde non desinam hæc apponere verba Leonardi Lessij, viri doctissimi, de *just. & iure lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 42.* sic asserentis. Si aliquid particulare prædicant absolute, v. g. hunc tali morte, hoc tempore, vel loco periturum, hunc futurum Episcopum, furem, & similia, graviter peccant, & sunt puniendi, etiam si postea dicant se non certò affirmare voluisse, quia alioquin omnes facile se excusarent & contra iudices defenderent. Secundo si prædicant aliquid, maxime in particulari, cum circumstantiis, quarum non possunt reddere rationem nisi ex regulis Astrologiæ judiciariæ, v. g. quia hora Nativitatis erat talis cœli catastasis, nō sunt exculandi, etiam si solum dixerint esse probabile, aut verisimile, quia cum revera nihil tale ex astris colligi possit, omnis talis prædictio referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem, & sanè perniciosum est putare regulas illas esse probabiles, cum eadem ferè incommoda sequantur, & ipsi Astrologi, quos Ecclesia damnat, sæpè nō plus dicant, farentur enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter evenire, nihilominus merito rejiciuntur tanquam impostores, & occultæ commercia cum diabolo habentes. Si verò solum in genere pronuncient, ita ut probabilis ratio reddi possit ex ætate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vitæ, aut aëris affectione, quæ ex fidem concursu, vel aspectu proveniat, non sunt condemnandi. Hæc omnia Lessius, & alij communiter.

2. Quibus verò penis supradicti rei sint plectendi, Soufa in *aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 48. n. 15.* sic ait: Astrologus judiciarius de futuris contingentibus à libera hominum voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmans, etiam si id non certò affirmare asserat, ab Inquisitoribus puniri potest Canonicis penis, ac etiam aliis secundum eorum arbitrium, ex Constituto Sixti V. Vnde in Inquisitione Hispanica quidam Clericus qui prædixit tempus, genus & modum mortis Regis Francorum, ut postea evenit, abjuravit de levi, suspensus fuit ab Ordinibus, & beneficiis privatus, & à tota Hispania exulatus, & alius Clericus etiam eodem tempore abjuravit,

X x

de